

XX

FRID. GENTZKE,  
PROF. PHILOS. PUBL.  
IN HIS SACRIS SECULARIBUS  
AD  
PRAELECTIONES PUBLICAS  
DE  
VITA ET SCRIPTIS  
D. LUTHERI  
AUDIENDAS  
CIVES ACADEMICOS  
OFFICIOSE AC PERAMANTER  
INVITAT.

---

---

KILIAE,  
TYPIS BARTHOLDI REVTHERI, ACAD. TYPOGR

Hist. Holsat.

115,15

Sam. Hof. Vol. 21 Holsat. 5.

XX

B

9

UND GEMEINDE

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

1848

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG

VEREINIGUNG



non sillas rursus & dicitur quod philosophi  
mudropo dicitur in laudibus quod dicitur  
illa est zula dicitur quod dicitur



Aut inepte mihi vi-  
dentur iudicasse, qui ex insi-  
ta nobis *admiratione* Philoso-  
phiam promanasse suumque  
traxisse ortum crediderunt.  
Hæc enim nostram *curiositatem*,  
quæ rerum obviarum nostros-  
que sensus ferientium causas, agendique modum  
scrutari studet, subinde stimulat, & quasi subdit cal-  
caria: id ipsum vero philosophari est. Et quamvis  
benignissimus creator admirationi nobilem hunc  
præfixerit usum, ut firmata mentis attentione sa-  
pientiæ studia provehat magis magisque; illa tamen  
pessime utimur, si quando eandem ad illa etiam,  
quæ cum re, quam admiramur, quomodocunque,

) ( 2

sunt

sunt connexa, extendimus. Pessimi huius vitii causa  
vnice existit mortalium *phantasia*, rationis impe-  
rium excutiens quasi, quæ sine ullo fundamento di-  
versissima componere consuevit. Ab hoc, ut voca-  
ri solet *combinationis præiudicio* pendet, quod insipien-  
tes eorum, qui magna valent auctoritate & dignita-  
te, non quidem virtutes, sed sæpe etiam utensilia, quin  
imo defectus admirari, & in sui dedecus ac opprobrium  
imitari gestiunt. Idem accidit scriptoribus ingenii  
acumine destitutis, qui cum vitas virorum sapientia &  
virtute conspicuorū litteris mandare imprudenter ag-  
gressi sunt, horum facta perminuta sermonesq; domesti-  
cos ac familiares curate satis indicare elaborarunt. Sed  
operam oleumque perdunt, & cum prodesse volunt,  
non parum nocent; etenim hoc ipso de tantorum vi-  
rorum splendore multum derogant, eoque adversa-  
riis criminandi ansam præbeant, amici vero iudicii  
in primis inopia laborantes exinde varias excusan-  
di vitia sua causas desumere solent. Non quidem  
possumus scriptori vertere vitio, si quando de per-  
sona, cuius vitam ac res gestas consignat, etiam  
ea, in quibus aberravit, subinde commemoran-  
tur: siquidem lectoris iudicium mirum quan-  
tum perficitur, cum non solum aliorum ex-  
em-

emplis vias, quibus omnia prospere successerunt, addiscit, sed errores etiam ac causas rerum ab aliis infeliciter gestarum intelligit, ut ita facilius cavere possit, ne inepte agendo æque tristia cum aliis experiatur fata. Sed expedit illa virorum clarorum verba ac facta sive bona sive mala enarrare, quæ in publicis alicujus momenti negotiis adhibuerunt patraruntq̃: in rebus vero privatis ac levissimis quid vel egerint vel judicaverint parum interest nosse, verum id ipsum potius silentio præterire præstat. Nec aliter intelligenda est Historicorum lex: *ne quid falsi dicat, & ne quid veri non dicat*, nisi de rebus, quarum cognitio usui vel emolumento esse poterit. Et sapientissimus quisque privatim ac in amicorum convivitu genio suo paululum indulget, neque in sermone summam semper curam, inque aliis actionibus rigida decori præcepta tam sollicite observat, sed ad indolis conditionem se gerit, ita tamen, ut in negotiis, feriis & quæ publica muneris ratio injungit, sapientiæ & prudentiæ præscripto convenienter agere studeat. At enim vero inter scriptores, qui hoc sanæ rationis monitum neglexerunt, merito referendus est auctor colloquiorum convivalium (der Tischreden D. Martin. Luthers) in quibus, etsi haud pauca le-  
tu

Et dignissima occurrant, quæ historiam de Luthero in nonnullis maxime illustrent, & ad morum correctionem ac veritatum theologiarum cognitionem non parum conferunt; his tamen intermixta reperiuntur plurima, quæ tantum abest, ut illum præstent usum, ut potius adversariis anam occasionem-ue de ejus & morum & doctrinæ integritate inique sentiendi, eundemque pessime per ora hominum traducendi præbuerint. Prudenter autem viri docti non sine fundamento veritatis monent, ex illis colloquiis contra Lutheri vel doctrinam vel famam nihil valide probari posse. Instar omnium mihi est subactum magni quondam Academiæ nostræ Theologi *Christiani Kortholti* de iisdem iudicium in *Tract. de Canon. pag. 28.* vbi ad objectionem Bellarmini, ex convivalibus sermonibus Luthero minus congruam de libro Jobi sententiam affingentis, commode sic respondet. *Initio, inquit, recolendum, illum sermonum Symposiacorum librum per exigua apud Protestantes auctoritatis esse, quippe a Luthero nec visum nec approbatum, sed viginti demum post ejus obitum annis a Johanne Aurifabro ex Antonii Lauterbachii cum primis, Viti Dieterici, Hieronymi Besoldi, Johannis Matthesii & aliorum manuscriptis collectaneis consarcinatum.* Ubi sane in rapsodica

*iodica ista consignatione fieri perquam facile poterit, ut sermones Lutheri, ab eo, qui in litteras retulit, non satis percepti fuerint, aut etiam memoria non usque adeo fideliter Scriptori illos sugesserit: neque enim crediderim omnia, quae in libro isto habentur, inter prandendum fuisse consignata, sed plurima haut dubie domi in Museo, prout memoria (quae facile in talibus imponere nobis potest) suggestit, in chartam coniecta sunt. Ut taceam, non semel hoc colloquiorum volumen privato quorundam arbitrio esse vel auctum vel alia ratione mutatum. His accedit, quod Lutherus imbecillitatis suae memor ipse probe intellexerit, sermonibus citra meditationem in familiari amicorum commercio prolatis nullam *angustiam* veritatisque demonstrationem inesse posse, hinc quae in istis domesticis colloquiis protulit, cum aliis suis sermonibus non eodem prorsus loco habenda monet. In S. Augustini, inquit, libris reperiuntur dicta, quae caro & sanguis protulit. Et ego de memet ipso fateri cogor, quod multa verba loquar, quae non sunt verba Dei, quando loquor extra ministerium, domi inter prandendum vel alias. Add. loc. cit.*

Prudentius itaque sibi & aliis consulunt, qui, cum de Lutheri nostri vita ac doctrina litteris quaedam mandare cupiunt, posthabitis illis colloquiis convivialibus

valibus, ad indubitata illius scripta & documenta ma-  
jori fide digna provocant. Quoniam itaque, Commi-  
litones suavissimi, & in his sacris secularibus nihil pri-  
us antiquiusque habeam, quam ut studia vestra Ec-  
clesiæ olim ac Reipubl. profutura quacunque possum  
ratione adjuvem, non solum in publica oratione apo-  
logiam, quæ merum innocentiam in divo Luthero  
conspicuum defenderet, consignare, sed etiam ut vobis  
constet, quantum curæ, sapientiæ & constantiæ ille no-  
ster in arduo Sacrorum emendationis opere exhibu-  
erit, pleniorẽ vitæ ipsius delineationem in *lectionibus*,  
ut vocantur, *cursoriis* tradere constitui. Propositum  
hoc meum promovit illustris Mayeri quod sermo MS-  
tum, in quo curate satis, quæ ad D. Lutheri vitam, res ge-  
stas & scripta spectant, observata annorum serie com-  
memorantur. Id ipsum, optimi cives, commentationi-  
bus meis illustratum usibus vestris ita attemperaturus  
sum, ut non solum memoria varia factorum cogniti-  
one impleatur, verum etiam iudicium vestrum ad Sa-  
pientis Dei providentiæ contemplationem exacuatur.  
Adeste itaque singulis diebus hora II. pomeridiana,  
vestraque præsentia nostrum studium excitate.  
P.P. Kilonii Dom. XXIII. post Fest. Trin. Anno.  
MDCCXVII.

Hist. Hübner 115, 15

309

